

AD EXAMEN PUBLICUM
OMNIUM
GYMNASII REGII BREGENSIS
DISCIPULORUM

FAUTORES ET AMICOS JUVENTUTIS

SUMMA QUAE CUIQUE DEBETUR OBSERVANTIA

INVITAT

FRIDERICUS SCHMIEDER,


PHIL. DR. GYMN. RECTOR ET PROFESSOR.



BREGAE, MDCCCXIX.

Typis Caroli Theoph. Wohlfahrt.

BRIE (1819)
1



III.

Supersunt quidem plura, quae ex Martialis epigrammatum libris de publicorum apud Romanos spectaculorum magnificentia commemorare potuissem; sed cum nihil impediret, quo minus alia omnia describerem, ad minora descendere et pauca de ludis privatis scribere placuit. Antiqua enim scrutanti etiam res per se parvae non negliguntur, quibus, quantum potest, exploratis, si non clarissima, aliqua tamen lux multis veterum scriptorum locis adfertur. Occasionem mihi praebuit Mart. Epigr. VII, 72.

Gratus sic tibi, Paulte, sit December,
Nec vani triplices brevesque mappae,
Nec thuris veniant leves selibrae,
Sed lances ferat aut scyphos avorum
5 Aut grandis reus, aut potens amicus,
Seu quod te potius juvat capite;

Sic

Sic vincas Noviumque Publumque,
 Mandris et vitreo latrone clausos;
 Sic palmam tibi de trigone nudo
 10 Unctae det favor arbiter coronae,
 Nec laudet Polybi magis sinistras:
 Si quisquam mea dixerit malignus,
 Atro carmina quae madent veneno,
 Ut vocem mihi commodes patronam,
 15 Et quantum poteris, sed usque clames:
 Non scripsit meus ista Martialis.

Pluribus locis conqueritur Martialis, atros quosdam versus et carmina famosa (quibus aliorum fama laedatur,) suo nomine circumferri; jurat, se neminem laedere sed parcere personis de vitiis dicentem; implorat fidem amicorum, ut se defendant; spargi illa carmina a poetis clanculariis, nomina sua prodere non audentibus. Nec sine causa sibi timebat et cavebat. Domitianum enim Suetonius refert c. 8. suscepta morum correctione scripta famosa vulgoque edita, quibus primores viri ac feminae notarentur, abolevisse non sine auctorum ignominia. Quare Martialis etiam in epistola primo Epigr. libro praemissa non neglexit testari: se salva infimarum quoque personarum reverentia ludere; *probetur in me*, inquit, *innocentissimum ingenium*. Nam sic ex conjectura lego, non ut vulgo: *probetur in me nunc novissimum ingenium*, quasi ex novitate laudem quaerat, qui paullo post dicere potest: *Hic est, quem legis, ille, quem requiris, Toto notus in orbe Martialis* etc. Sed repetit potius I, 5. ad Domitianum: *innocuos censura potest permittere lusus*, et lib. 7, 12: *ludimus innocui*. Neminem enim nominavit nisi laudatos; lib. 5, 15: *queritur laesus carmine nemo meo, Gaudet honorato sed multus nomine lector, Cui victura meo munere fama datur*. Antiqui autem poetae
 Roma-

Romani, aequae ac Graeci, nemini parcebant; nominibus non tantum, veris abutebantur sed et magnis, ex. c. Catull. 29. 54. etc. Cf. Hor. Serm. II, 1, 65 seqq.

Implorat igitur Martialis etiam eo carmine, quod supra posui, et obtestatur Paullum, ut sua amicorum auctoritate ab illa injuria defendat. Lepide ei sic precatur *gratum Decembrem*, munera Saturnalibus, tum forte instantibus, largissima a clientibus mittenda, sic optat victoriam in ludis, ut ista carmina atro madentia veneno Martialis sui esse constantissime negaturus sit. *Paullum* ex ipso epigrammate videmus fuisse in numero causidicorum celebriorum, eamque ob rem suam ei causam poeta commendat; ejusdem fortasse mentionem fecit 1, 5, 28: licet vincas *oratione Regulos, jocis Paullos*; nam etiam Regulus erat causarum patronus; ejusdem etiam Juven. Sat. 7, 143: *ideo conducta Paulus agebat Sardonyche* h. e. ut dives videretur et majorem acciperet mercedem, annulo pretioso, quem conduxerat, utebatur, cum diceret causas.

V. 2. Nec veniant *vani triplices*, viles pugillares, in quos epistolae breviores scribebantur, a tribus tabellis (ligneis, cera obductis) dicti; qui inter vilissima dona pluribus locis numerantur, ex. c. lib. 10, 87. Apoph. dist. 4. — nec *breves mappae*, quas convivae, ut manus abstergerent, ad coenam ipsi adferebant; per Saturnalia dono mitti solebant *Decembri, quo volant mappae*; lib. 5, 18. — nec *thuris leves selibrae* (prima syllaba brevi ut 1, 100, 15. 5, 19, 11.) h. e. sex unciae vix plenae thuris, quod, cum in sacris opus esset quotidie, parvo pretio emi poterat a propolis in vico vendente thus et odores et piper et quidquid chartis amicitur ineptis. — Sed ferat *lances*, intellige argenteas, (ut praeter loca alia libro 4, 15. ubi *lanx et pauca vasa* millibus quinque nummorum, circiter 250 thaler. aestimantur,) quibus fercula ponebantur; aliae auro obductae splendebant; aliae chrysendetae dicebantur, si emblematis aureis

aureis ornatae erant. — Aut *scyphos avorum*, minus materia et artificum antiquorum labore commendatos quam vetustate, quales insania eius saeculi summo pretio coemebat; intellige pocula Laomedontis, Nestoris *δέπας περικαλλές*, aliaque ejus generis; cf. l. 8, 6. — Haec seu quidquid magis tibi placeat, mittant aut *grandis reus*, dives nobilisque vir, quem in foro defendis, aut *amicus potens*, divitiis excellens. (Terent. Eun. 2, 3, 61: *quis is est tam potens cum tanto munere h. e. tam dives, ut tantum munus mittere possit?*)

V. 7. Sic per Saturnalia in latrunculorum tabula atque in pilae ludo collussores tuos vincas. Quorum ludorum cum alter justam corporis, alter ingenii exercitationem offerret animum remissuris, uterque vero artis ludendi peritioribus laudes conciliaret, viros etiam doctos utrique operam dedisse nemo mirabitur. P. Mucius Scaevola, juris peritissimus, cum pila bene et duodecim scriptis luderet (Cic. de Orat. 1, 50.), etiam posteriorum quidam jureconsultorum laudem ejus generis affectasse videntur. Propter pilae et latrunculorum ludi scientiam Paullus laudatur a Martiale; eodem nomine Piso in carmine poetae incerti, ad cuius versus 180 seqq. Wernsdorf in dissertatiuncula de latrunculorum ludo post priores de ea re scriptores, quos omnes videre mihi non contigit, hanc materiam diligenter retractavit. Ex parte ei adsentior, non de re tota. Recte cum pluribus docet, alium fuisse ludum, in quo tesseris uterentur, neque fortunae minus quam arti locus esset; alium calculorum sive latrunculorum, in quo solis calculis scite ductis luderent. Jam tabulae vero, in qua latrunculis ludebant, ratio dubia mihi est. Nequit intelligi ex Mart. lib. 14, 15:

Tabula lusoria.

Hic *) mihi bis seno numeratur tessera puncto,
 Calculus hîc *) gemino discolor hoste perit.

*) Hîc, *δεικτικῶς*. Gronov. de Pec. vet. p. 517 ex Codd. hâc sc. tabula scribendum censet.

In quibus quidem verbis de tabula loquitur poeta, cuius altera pars XII scriptorum ludo apta sit, altera (si tabula vertatur) calculorum ludo; sed tabulae rationem et modum non descripsit. Neque satisfacit locus Julii Pollucis lib. IX. c. 7. segm. 99. quem totum adscripsi: ἡ δὲ διὰ πολλῶν ψήφων παιδιὰ πλινθίων ἐστὶ, χώρας ἐν γραμμαῖς ἔχον διακειμένας. καὶ τὸ μὲν πλινθίων καλεῖται πόλις, τῶν δὲ ψήφων ἐκάστη κύων. διηρημένων δὲ εἰς δύο τῶν ψήφων κατὰ τὰς χώρας ἢ τέχνη τῆς παιδιᾶς ἐστὶ περιλήψει τῶν δύο ψήφων ὁμοχρόων τὴν ἑτερόχρου ἀναρῆσθαι. Refert Pollux, ludum latrunculorum esse πλινθίων, quadratum ἰσόπλευρον, quod χώρας, loca, in quibus calculi sint ponendi, habeat διακειμένας ἐν γραμμαῖς, sita et disposita in lineis. Ordines vero in tabula latruncularia cum essent et transversi et directi, (quod claris verbis testatur Varro de L. L. lib. IX. pag. 165. ed. Bip.) loca, in quibus calculi essent ponendi, videri possunt descripta fuisse in ipsis lineis, fortasse in iis linearum locis, ubi transversae scindunt directas, et hinc dici διακῆσθαι ἐν γραμμαῖς. Sed Eustathius calculos dicit poni ἐν διαγεγραμμέναις τισὶ χώραις, quod est: in locis quibusdam per lineas descriptis et distinctis, quae etiam χώρας γραμμικὰς adpellat et πόλεις. Etiam Hesychio dicuntur sedes calculorum nunc appellari χώραι, prius πόλεις. (V. πόλεις παίζειν.) Hinc Wernsdorfio aliisque placet, loca fuisse lineis ita inclusa, ut tabula non dissimilis esset ei, qua hodie in calculorum ludo utimur. Polluci vero non sedes calculi unius, sed totum πλινθίων καλεῖται πόλις, nec licet, ut πλινθίων, quod prius legitur in Pollucis loco, de omni tabula, quod posterius, de singulis regionibus accipias. Non facile haec omnia videntur ita posse explicari, ut auctorum de re vulgari atque sibi notissima consensus non sit dubius. Inter tot res etiam minutas ex antiquitate servatas velim repertam esse tabulam, qua dubium omne facile tolleretur.

Οἱ Ψῆφοι s. κύνες, qui poetis Rom. milites, bellatores et latrones, (quo nomine antiquioribus Romanis milites appellabantur,) prosaicis scriptoribus latrunculi, calculi, dicuntur, divisi erant in agmina duo, alterum nigri, alterum nivei coloris; facti vitro, buxo, ebore et alia etiam materia. Quibus omnibus cum non esset vis eadem, formam etiam diversam fuisse oportet; sed de hac, sicut de tabula, apud scriptores antiquos certiora non inveni. Isidorus Hispalensis saeculo septimo scripsit *ordinarios* appellari, qui ordine moveantur sive qui (ut alio idem loco dicit) per vias ordinales quasi per calles eant; et *vagos*, qui vage; hi cum equitibus, illi cum turribus s. elephantis ludi *schachici* s. regii comparari posse videntur. De calculis, qui cursibus, reginae regique componi possent, non vidi mentionem factam; nec binos fuisse cuiusque speciei latrones colligi potest ex Ovid. Art. III, 359: *bellatorque suo prensus sine compare bellat*; ubi *compar* est calculus concolor, cuius praesidio ille defenditur, de qua re post dicam. Accedebant vero *mandrae*. Hesychius: μάνδραι, ἔρηκη, Φραγμαί, αὐλαί, σηκοὶ βοῶν καὶ ἵππων. Recte docet Wernsdorf, mandras fuisse latronibus pro munimento et vallo; moveri eas potuisse, ex nostro Martialis loco colligas. (Alio l. lib. 5, 22, 7: *vixque datur longas mulorum frangere mandras*, intelligitur grex mulorum onera portantium, quibus vias urbis occupantibus transitus impediabatur; cf. Hor. Epist. 2, 72. Sen. de Ira 3, 6.) In ludo igitur latrunculorum aliquatenus comparari possunt mandrae cum milite gregario ludi regii.

Ars ludentium erat, ut suis quisque calculis calculos adversarii vel tolleret vel alligaret. *Tollebatur* vero, qui calculus discolor inter duos concolores medius concludebatur. Hoc diserte dicunt Pollux et Martialis locis supra laudatis aliique. Cavebant igitur ludentes, ne calculus sine comite hostem adgrederetur, ne non posset coeptum recurrere iter;
artis

artis erat, ita fugere, ut simul hostem raperes. *Alligabantur* calculi qui ita obsessi erant, ut moveri non possent; unus calculus poterat duos adversarii alligare. Tum spectabatur, quomodo alligatus exiret calculus atque liberaretur. Lusus ostendebat belli quaedam simulacra; veluti acie instructa impetum faciebant in hostem, sibi caventes, ne ejus paterent incursibus, ipsi insidias hosti instruentes. Mart. Apoph. 18. *Calculi:*

Insidiosorum si ludis bella latronum,

Gemmeus iste tibi miles et hostis erit;

h. e. pars alterutra horum calculorum gemma factorum erit tua, altera adversarii. — Vicerat denique, qui, pluribus adversarii calculis raptis et sublatis, reliquos ita alligarat, ut eos *ille* *tere* (*ziehen*) non posset, *ad incitas* sc. *calces redactus* sive *ad incita* sc. *loca*.

Ex omnibus, quae dixi, apparere videtur, ludum latrunculorum nec damiludio (quod vocant) nec ludo regio convenisse totum, sed aliquid habuisse ex utroque; et omnino rationem ejus ludi nobis non satis esse perspectam. Confirmabit hanc sententiam locus de latrunculorum ludo luculentissimus in Carm. ad Pis. v. 178 seqq., in quo reginae virtus atque auctoritas regis, in cuius defensione res omnis vertitur et studium summum ponendum est, non videtur potuisse silentio dissimulari. *Te si forte juvat, studiorum pondere fessum, Non languere tamen lususque movere per artem Callidior modo,* quia fortunae nihil conceditur sed ingenii viribus omnia, *tabulá variatur* calculis huc illuc dispositis, *apertá,* si ante fuerat complicata, *Calculus et vitreo peraguntur milite bella, Ut niveus nigros, nunc et niger alliget albos. Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit Calculus? aut quis non periturus perdidit hostem? Mille modis acies tua dimicat: ille petentem Dum fugit, ipse rapit: longo venit ille recessu, Qui stetit in speculis, insidiose ex longinquo praedam capiens; hic se committere vixae Audet et in praedam venientem decipit hostem. Ancipites*

B

subit

subit ille moras, h. e. moratur loco, ubi periculo pereundi obnoxius esse videtur, *similisque ligato Obligat ipse duos*; *hic ad majora facinora movetur*, *Ut citus*, celeriter et improvise invadens et *fractâ prorumpat in agmina mandrâ* h. e. disjectis hostium munimentis et custodibus in ipsos latrones impetum faciat, *Clausaque dejecto populetur moenia vallo*, ex loco prius mandris munito, nunc munimenti parte privato, captos auferens hostes. *Interea*, dum haec fiunt, *sectis*, *quamvis accerrima surgant Proelia*, militibus s. fracta et divisa in duas partes acie hostili, *plenâ tamen ipse phalange acieque juncta*, *Aut etiam paucos spoliatâ milite*, *vincis Et tibi captiva resonat manus utraque turbâ.*

Vel interiit ludus latrunculorum, regio ludo ex oriente ad nos translato; vel concedatur aliis et *Senflebio de alca* p. 194: „auctiorem nostris „temporibus et fortasse etiam elegantiore redditum fuisse ludum antiquum latrunculorum per nostrum ludum Scacorum. Quid enim frequentius quam inventis aliquid addere, praesertim in ejusmodi ludis „et otiosorum hominum negotiis, ubi plerumque ingeniosi sunt illi, qui „otiosi sunt nimis.“

Sic igitur, ut fama sua ab eo defendatur, Martialis Paullum optat vincere Novium Publiumque, scitissimos sine dubio in tabula latruncularia lusores, quorum calculos, parte jam sublata, ita clausit mandris, h. e. valli sui partibus sive pedite suo, et vitreo latrone h. e. fortioribus militibus suis, vitro factis, ut illi se ad incitas redactos et victos confiteri cogantur.

V. 9. Eundem Paullum poeta summa laude ornatum cupit ex arte pilâ ludendi; de qua cum plures alii scripserunt, tum nuper etiam Wernsdorf *Poet. lat. min. T. IV. p. 598.* cui et de hoc ludo non totus adsentior. Quo saeculo Martialis vixit, quatuor pilae species apud Romanos in usu fuerunt, trigon, harpastum, follis, pila paganica. Ei pilae,
qua

qua pueri nostri ludunt, similis erat trigon sive pila trigonalis, parva, dura, referta pilo, (unde nomen;) quam intelligere solent veteres, ubi simpliciter de pila loquuntur, ex. c. in Mart. 7, 32, 7. pila, follis, paganica et harpastum distinguuntur, ubi pila est pro trigone. Trigonalem dixisse videntur, quod tres ludentes ita starent, ut triangulum redderent. Sed dubitari vix potest, diversas fuisse rationes ea ludendi. De duobus tantum lusoribus, quorum uterque arte excellebat, loquitur h. l. Martialis, de duobus Seneca de benef. 2, 17. ex cuius verbis, quae adscripsi, ratio et ars ejus ludi facile intelligitur: *Pilam cadere non est dubium aut mittentis vitio aut accipientis.* (Clemens Stromat. lib. 2. p. 370: τὸ σφαιρίζειν οὐκ ἐκ τῆς κατὰ τεχνὴν πέμποντος τὴν σφαῖραν ἤρτηται μόνον ἀλλὰ καὶ τῆς εὐρύθμως ἀποδεχομένης προσδεῖ αὐτῶ, ἵνα δὴ κατὰ νόμους τοῦς σφαιρητικούς τὸ γυμνάσιον ἐκτελεῖται. Ita vero ludebant, ut manu ad ludum utrâque parata pilam scite missam scite utraque manu exceptam remitterent, caventes, ne excideret.) *Tunc cursum suum servat, ubi inter manus utriusque apte ab utroque et jactata et excepta versatur.* (Numerabantur vero pilae, quae recte missae atque exceptae erant, a servo in aedibus divitum, a pilicrepe [dem Marqueur] in sphaeristerio balneis publicis adjuncto. Trimalchio, praeter hominum morem omnia faciens, spadonem habebat, qui pilas numeraret non eas, quae inter manus lusu expellente vibrarent, sed quae in terram deciderent; Petron. c. 27.) *Necesse est autem, lusor bonus aliter illam collusori longo (remotiori) aliter brevi (propiori) mittat. Si cum exercitato et docto negotium est, audacius pilam mittemus; utcumque enim venerit, manus illam expedita et agilis repercutiet. Si cum tirone et indocto, non tam rigide, nec tam excusse, sed languidius et in ipsam ejus dirigentes manum remisse occurremus. — Malignis lusoribus propositum est, collusorem traducere, (ludibrio spectatorum proponere,) cum damno scilicet lusus ipsius, qui non potest, nisi consentitur, extendi. Cap. 32: In lusu*

est aliquid, pilam scite ac diligenter excipere; sed non dicitur bonus lusor, nisi qui apte et expedite remisit, quam exceperat. — Ludus — consummatur vicibus mittendi ac remittendi. — Atque in ea re admirabantur agilitatem et mobilitatem lusorum. In Mart. Apoph. 44 *pila trigonalis* sic loquitur ipsa: *Si me mobilibus scis expulsare sinistris, Sum tua*, h. e. tibi numeror a pilicrepe; *si nescis, rustice, redde pilam* sc. ei, qui tibi miserat excipiendam. Cum recte ludentium manibus non facile excidens tepesieret, *tepidum trigonem* dixit Mart. 4, 19, 5 et lib. 12, 82: *Effugere in thermis et circa balnea non est Menogenen*, coenarum captatorem, *omni tu licet arte velis. Captabit tepidum dextra laevaque trigonem, Imputet exceptas ut tibi saepe pilas*; scilicet prope adstat Menogenes ludenti, et si qua forte pila huic elabatur, eam ille satis scite modo dextra, modo laeva excipit, ut hoc possit officium imputare. Auctor carminis ad Pisonem V. 173 seqq. *Nec tibi mobilitas minor est, si forte volantem Aut geminare pilam juvat*, h. e. venientem expulsim remittere, *aut revocare cadentem Et non sperato fugientem reddere gestu*, h. e. si cadere pila atque elabi videbatur, tamen motu corporis ex inopinato recipere et remittere collusori. *Haeret in haec populus spectacula totaque ludos Turba repente suos jam sudabunda relinquit*. De non speratis ejusmodi gestibus loquitur Manilius 5, 165 seq. *Ille poterit pilam celeri fugientem reddere planta Et pedibus pensare manus et ludere saltu*, (ne legas *folle* cum Bentleio, sed insperato ille revocat saltu pilam jam-jam elabentem,) *Mobilibusque citos ictus glomerare lacertis*, h. e. citissimis usque ictibus pilam remittere. Celeritas enim in laude erat; hinc epitheta: *pila velox, celeres pilae*. Quae sequuntur in Manilio: *Ille potens turbam perfundere cuncta* (corporis membra) *pilarum Per totumque vagas corpus disponere palmas, Ut teneat tantos orbes* (tot pilas) *sibi que ipse reludat Et velut edoctos jubeat volitare per ipsum*, ea intelligas de artificio praestigiatoris, non de vulgari arte pila ludendi. Hac exercebantur nudi, tunica posita. Cic. Tusc. 5, 60.

Jam

Jam revertamur ad Martialis locum supra positum: *Sic*, ut me defendas, *tibi nudo palmam det de trigone*, victoriam tribuat, mobilitate te quemvis collusorem superare judicet in pilae trigonalis ludo *favor arbiter coronae unctae*, spectatores circumstantes et quasi arbitri tibi faventes, jam uncti, ut ante lavationem corpus exerceant, sed suos lusus prae tui admiratione relinquentes; *nec laudet Polybi (Polybii) magis sinistras*, qua manu peritiores pro artis specimine potissimum usi esse videntur.

Reliqua epigrammatis verba cum interprete non egeant, de reliquis tamen pilae speciebus quaedam subjunxi.

Harpastum, ex graeco *ἄρπάζειν*, *raperere*, dictum, pila parva erat, qua ita ludebant, ut alter alteri eam manu praeripere tentaret. Valentiorum viribus hominum eum lusum fuisse ex pluribus locis palam est. Harpasto ludebant in palaestrae arena; inde ipsa dicuntur *pulverulenta*, ex c. Mart. 7, 32, 10: *non harpasta vagus pulverulenta rapis*, et 4, 19, 7: *sive harpasta manu pulverulenta rapis*. Apoph. 46. *Harpasta*:

Haec rapit Antaei velox in pulvere draucus,
Grandia qui vano colla labore facit;

h. e. rapit ea draucus velox *in pulvere Antaei*, in palaestra; nam pulvis Antaei est pro arena aegyptiaca, qua ut molliore luctaturi corpora adsperebant; hinc is pulvis apud poetam pro palaestra omni. Plin. Hist. N. 55, 13: „Non multum a pulvere puteolano distat e Nilo arena „tenuissima sui parte, non ad sustinenda maria fluctusque frangendos, „sed ad debellanda corpora palaestrae studiis. Inde certe Patrobio, „Neronis principis liberto, advehebatur. Quin et Leonnato et Cratero „ac Meleagro, Alexandri Magni ducibus, sabulum hoc portari — repe- „rio. Suet. Ner. 45: forte accidit, ut in publica fame Alexandrina „navis nunciaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse.“ Ceterum (si recte locum intellexi) drauci *grandia* i. e. robusta colla, cervices robustas

bustas facere dicuntur (etiam Athenaeus τὸ ἀρπασὸν laudat propter τὸ κατὰ τῆς τραχηλισμῆς ῥωμαλέον,) labore vano, exercitatione corporis inutili, sicut Graecorum athletae.

Ludi ratio jam latebat Julium Pollucem, qui lib. IX. segm. 103 seqq. quatuor pilae lusum Graecorum descripsit; secundus eorum, quos commemorat, dicebatur Φαινίνδα, de cuius nominis varia scriptura vid. Editt. p. 1091. Cum alteri pilam ostendissent, alteri mittebant, decipientes eum, qui sibi eam crederet missum iri. (Debebat, ni fallor, secundus protenus et eodem modo pilam mittere tertio, hic quarto et sic porro. Fortasse hoc *datatim ludere* dicebatur, cum darent sive mitterent pilam non opinanti et minus attento.) Εικάζοιτο δ' ἂν εἶναι ἢ διὰ τῆ μικροῦ σφαιρίου (παιδιά), ὃ ἐκ τῆ ἀρπάζειν ἀνόμασται, h. e. videri potest hic lusum esse, qui fit pilâ parvâ, quae a verbo ἀρπάζειν dicta est. Adsentitur Athen. lib. I. c. 12: „τὸ δὲ καλούμενον διὰ τῆς σφαίρας ἀρπασὸν „Φαινίνδα ἐκαλεῖτο, quod in ludo pilae (nunc) harpastum vocant, appellabant (olim) phaeninda, quod ego omnium maxime amo; multum enim „est contentionis et laboris in certamine circa pilam, et multum roborat „cervicem etc. Describit τὴν Φαινίνδα παιδιάν sic Antiphanes:

. σφαῖραν λαβὼν
τῷ μὲν διδοὺς ἔχαιρε, τὸν δ' ἔφευγ' ἄμα,
τῆ δ' ἐξέκρουσε, τὸν δ' ἀνέστησεν πάλιν
κλαγκταῖσι Φωνᾷς.“

De eodem lusu intelligendus esse videtur Epictet. Dissert. II, 5, 15 — 17: „Nemo eorum, qui scite pila ludunt, διαφέρεται περὶ τῆ „ἀρπασῆ, contendit de harpasto tanquam de bono aut malo, sed de eo „jaciendo atque excipiendo. In hoc igitur est concinnitas, in hoc ars, „celeritas dexteritas, ut cum ego ne sinum quidem meum expandens „excipere pilam possim alius, [lusor peritus, vel] si [imperite pilam] „pro-

„projecero, [eam manu] excipiat.“ Julius vero Pollux pergit: τάχα δὲ καὶ τὴν ἐκ τῆς μαλακῆς σφαίρας παιδιὰν οὔτω τις καλοῖη h. e. sed fortasse et mollioris pilae ludum aliquis sic nominaverit. Incertus igitur hæret. Ego nisi et Arriani et Athenaei testimoniis tenerer, quartum Graecorum ludum, τὴν οὐρανίαν, eum esse crederem, in quo harpasto uterentur. Primum appellabant τὴν ἐπίσκυρον, qua sic ludebant, ut plures ex adverso starent, pares paribus oppositi; in linea intermedia, gypso facta, quam σκύρον vocabant, pilam imponebant; tum post utrorumque ordinem aliis duabus lineis descriptis, alteri, qui priores pilam acceperant, eam projiciebant trans alteros (ὕπὲρ τὰς ἑτέρους), quorum erat, pilam advolantem prehendere et in mittentes rejicere, donec alterutri alteros ad lineam post eos ductam pepulissent. Licere, addit Pollux, hunc ludum σφαιρομαχίαν appellare. — Tertius ludus erat ἡ ἀπόρραξις; oportebat pilam fortiter et accurate in solum jacere, resilientem manu excipere et remittere; numerabatur saltuum multitudo. — Quartus dicebatur ἡ οὐρανία, si unus ludentium sese reclinans pilam in coelum projecerat, reliqui assilientes certabant cadentem ἀρπάσαι, priusquam terram contingeret. (Hoc est fortasse, quod *raptim ludere* dicebant.) Quando vero pilam ad murum mitterent, saltuum multitudo numerabatur, et victus dicebatur asinus et faciebat omnia, quae jussus erat; victor vero rex dicebatur et jubebat. Haec fere Pollux. Erant vero apud Graecos, qui juventutem pila ludentem regerent, ut νόμος τὸς σφαιρητικούς observaret et qui praemia victoribus constituerent, σαμένορες dicti, de qua voce vid. Hesychius cum interpret. De legibus vero et hic ex Epicteto adscripsi, quae verba supra laudata sequuntur: „Quod si vero cum perturbatione et metu vel exceperimus vel emiserimus harpastum, quis jam ludus? ubi quis recte consistere possit? ubi conspicitur ludi ordo? Sed alius si dicit: mitte! alius: ne mittas! alius: unam jecisti! rixa haec est, non ludus.“ Super-

*et supra quā-
dam dixi,*

Superest, ut de Romanorum *folle* et *paganica* pauca adjiciam. Follis erat pila magna, spiritu inflata, qua expulsim ludebant; nam brachiis et potissimum pugnis impellebatur, nec lusus erat laboriosus. Quare Martial. Apoph. 45: *Follis*:

Ite procul, juvenes, mitis mihi convenit aetas;

Folle decet pueros ludere, folle senes.

Idem dixit 4, 19, 7: *plumea seu laxi partiris pondera follis*, in quibus verbis follis appellatur *laxus*, extensus, distensus; ejus pondera sunt *plumea*, tam levia ut plumae; nam plumis refertum fuisse non constat; opponitur duris harpastis; *partiri pondera follis* est metiri cursum motumque follis, ut, quanta satis est, vi expulsus ad collusorem decurrat; nisi cum Wernsdorfio mavis interpretari: follem in diversas partes circuli mittere et remittere et ludere in commune.

Quarta denique pilae species his verbis a Martiale describitur Apoph. 43:

Haec quae difficilis turget paganica pluma,

Folle minus laxa est, et minus arcta pilâ.

Pluma igitur farciebatur, minor ambitu erat quam follis, major quam pila trigonalis; ea, ut ceteris pilis, ludebant, antequam lavarentur, ex. c. Mart. 7, 32, 7: *Non pila, non follis, non te paganica thernis Praeparat* etc.

De *vitrea pila*, ut novo invento Ursi Togati cujusdam, insignis suae aetatis pilicrepi, vide Inscriptionem antiquam, Romae repertam, apud Velsorum in Monument. August., repetitam a Radero ad Mart. p. 313, a Grutero, atque excerptam a Gesnero in Th. L. L. Voc. *pilicrepus*. Qua pila tantum artis peritissimi decenter ludere poterant; nam si forte in terram decideret, facile diffringebatur.

Die Ordnung der öffentlichen Prüfung aller und der Redeübung
unsrer jüngern Schüler ist folgende:

Donnerstag den 23ten September, Vormittags um 9 Uhr.

C h o r a l.

1. Die zweite Religions - Classe.

Constantin Alb. Ernst Raiser aus Brieg declamirt: Walter, der
verlorne Sohn.

Job. Franz Pobl, von Tempelfeld bei Ohlau: die beiden Schatten.

2. Die vierte lateinische Classe.

Carl Heinrich Leop. Zwirner aus Jakobswalde bei Cosel, spricht
die Erzählung: der Landjunker und sein Pudel, von Langbein.

3. Die zweite griechische Classe.

Ferdin. Jul. Lorenz aus Creuzburg, declamirt: Kindlicher Trost.

Friedrich Alexander Franz Rödiger aus Freyburg in Sachsen:
Man stirbt nicht gern.

4. Die erste lateinische Classe. (Prof.)

Carl Gustav Jul. Seifert aus Brieg, declamirt das Gedicht: der
Spaziergang am Strande.

Albert Bone aus Cantersdorf: der vernünftige Gehorsam.

5. Die erste mathematische Classe.

Jul. Wilhelm Emil Hoffmann aus Brieg: deutsche Volkstracht.

Ernst Friedrich Pochhammer aus Tarnowitz, trägt vor: Bra.
marbas, von Langbein.

Nachmittags 2 Uhr.

G e s a n g.

Vorredner.

Heinrich Freund aus Brieg, declamirt: die edle Vergeltung, von
Zipf. C 1. Die

1. Die fünfte lateinische Classe.
Heinrich Diego Padiera II. aus Tarnowitz: decl. das Goldstück.
2. Die zweite histor. geogr. Classe.
Carl Wilhelm Mörbel aus Brieg, spricht das Gedicht: der Vatermörder.
3. Die dritte lateinische Classe.
Carl Wilhelm Hoffmann aus Creutzburg, declamirt: der Phlegmatikus und sein Kammerdiener.
4. Die erste griechische Classe.
August Heinrich v. Wrohem IV. aus Ratibor: die Kehrseite.
Gustav Leopold v. Ohlen aus Leobschütz, declamirt: das Gespenst.
5. Die erste deutsche Styl - Classe.
Nachredner.
Ernst Friedrich Lessing aus Namslau: Schillers Grab.

Freitag den 24ten September, Vormittags 9 Uhr.

C h o r a l.

1. Die vierte Religions - Classe.
Carl Ludwig Fachmann aus Petrikau, declamirt: die Sehnsucht nach dem Unsichtbaren.
2. Die sechste lateinische Classe.
Heinrich Julius Kattner aus Barottwitz bei Breslau, trägt vor eine Erzählung: der alte Husar, von Kind.
3. Die vierte histor. geograph. Classe.
Robert Carl August v. Prittwitz aus Kreisewitz, declamirt: der Hahnbalcken, ein Schwank von Fr. Kind.
Moritz Kattner aus Barottwitz bei Breslau: Graf Lauzun, eine Ballade.

4. Die zweite lateinische Classe.

August Heinrich Simon aus Breslau, declamirt: die Schlacht von Schiller.

Gustav Erdmann Schott aus Constadt, spricht ein Gedicht: der kleine Gernegroß, von Langbein.

5. Die erste arithmetische Classe.

Salomo Meyer Sittenfeld aus Grottkau, declamirt: die Ideale, von Schiller.

Nachredner.

Albert v. Gröling aus Paiow bei Ujest, trägt vor den Monolog der Jungfrau von Orleans, aus dem Trauerspiele gleiches Namens.

Nachmittags 2 Uhr:

Chorgesang.

Vorredner.

Gottlieb Friedrich Langes aus Brieg: der heilige Stephan.

1. Die erste histor. Classe.

Johann Friedrich August Brühl aus Brieg — die vermeinte Gefahr.

Ernst Joseph Bodenstein, aus Kottwitz bei Breslau, declamirt eine Fabel von Lichtwer.

2. Die zweite deutsche Styl-Classe.

Carl Friedrich Julius Bräunert aus Oels — Wohlthun, das edelste Vergnügen, eine Erzählung.

Ludwig Alexander v. Jordan, aus Schönwald bei Rosenberg, declamirt ein Gedicht von Bürger.

3. Die erste lateinische Classe. (Dicht.)

Nachredner:

Samuel Scholz, aus Stroschwitz bei Löwen, trägt eine Erzählung vor und dankt für geneigtes Gehör.

Hierauf folgt die Dimission der Abiturienten.

Einer derselben, *Friedrich August Senkel*, wird im Namen aller valediciren; der Primaner *Carl Fuchs* aber den Abgehenden Glück wünschen.

Schlussgesang des Chors.

Die verehrten Gönner und Freunde des Gymnasiums lade ich gehorsamst und ergebenst ein, den Prüfungen unsrer Zöglinge die Ehre ihrer Gegenwart zu schenken. Brieg den 21sten Sept. 1819.

Dr. Friedr. Schmieder.

3. Die erste late

Nachred

Samuel Sch

vor und

Hierauf folg

Einer dersel

valedici

Glück

Die verehrt
horsamst und er
ihrer Gegenwart

trägt eine Erzählung

wird im Namen aller
über den Abgehenden

S.
masiums lade ich ge-
r Zöglinge die Ehre
Sept. 1819.

Friedr. Schmieder.

